

QUÆSTIO XIII.

Quare Dominus mittit Paulum ad Ananiam?

15. Dixerat Paulus: Domine quid me vis facere? Eum docet Christus quid ei faciendum sit: Ingrederet civitatem; scilicet Damascum, ibi dicitur tibi quid tibi oporteat facere, scilicet suscipere Baptismum, Confirmationem, & ut in rebus fidei maxime instrueretur. Neque cum hoc obstat, quod Christus dixit Paulo infra cap. 26. num. 18. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te testem, & ministrum eorum, que vidisti, sicut & illud, quod ipse de suo Evangelio predicato: Ego ab homine non accepit illud, sed per revelationem Jesu Christi: ad Galatas 1. num. 12. nempe in suo raptu, multa altissima, & principalia, ac majora cognovi de mysteriis Divinitatis, ac etiam de vita Christi; hoc tamen non obstat: quod aliquas circumstantias de vita Christi accepit ab Apostolis, qui ab initio ipsas viderunt.

Secundo Moyses Abbas apud Cassianum collatione 2.c. 14. ait: Mittis Paulum ad seniore, eumque illius potius doctrina quam sua censet instrui, ne scilicet quod recte gestum fuisset in Paulo postea malum presumptionis præberet exemplum, dum unusquisque sibi persuaderet simili modo se quoque debere Dei solius magisterio, atque doctrina potius, quam seniorum institutione servari. Deus de Cælo vocavit Paulum, tamé ut informetur de rebus agendis non per se illum instruit, sed ad Ananiam, ut doceatur, remittit, ut inde quilibet habeat exemplum, ut seniorum Concilia requirat, & ne tantum de se præsumat, quod à solo deo sit ministrandum.

97. Vocat deus Samuelem, Et currit ad Heli, & dixit: Ecce ego; vocasti enim me. 1. Reg. 3. num. 5. Ad quid deus vocat Samuelem simili voce Heli, & cur non aperit ei ad quid vocetur, sed ordinat, ut prius tendat ad Heli? Alto consilio, ut puer instrueretur à seniore qualiter se debebat preparare, ac disponere ad dei mandatum accipiendum, & mente tenendum d. Gregor. Magnus in comment. ait: Vocavit deus puerum, sed voce magistro simili, causam vocationis tuam, ut electus puer, qua humilitate obedientia esset sublimis ostenderet. Inve ad præceptorem pervenit, ut devotionis sue munus offerret.

98. Tertio d. Bernard. serm. 1. de conversione Pauli ait: O sapientia suaviter vera, universa disponens eum, cui tu loqueris erudiendum de voluntate tua, mittis ad hominem: Quisquis in se vult habere Dei dona, firma, ac tuta, requirat majorum doctrinam, ac disciplinam ne de se multum præsumat, ut aliorum culturam respiciat, ac contemnat.

99. Accipit moyses duas tabulas legis ex utraque parte scriptas, & factas opere Domini, seu ut alii legunt. Digno Dei. Exod. 32. n. 16. Cum ergo vidisset populum idolatrantem, iratus Moyses projecit tabulas, & confregit ad radices montis numer. 19. postea Deus misericordia motus mandat moysi; Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribe tibi verba hæc. Exod. 34. num. 27. maxima indagine dignum, ut advertit d. August. citandus: Tabule scripte digito Dei confringuntur, & pereunt, exarata vero manu hominis durant, & perseverant, Dei dona tunc durant, & conservantur cum homines habeat cooperatores, d. August. q. 166. in Exod. ait: Priores tabule scripte digito Dei non perseverant. Posteriores tabule tam diu manserunt, ac in Tabernaculo, ac Templo Dei futura jubente quidem Deo tam ab homine scisse sint, quam ab homine scripte: forte in illis prioribus gratia Dei significabatur, non hoc

105. Verendum

minis operari: Inde agnoscat homo, quod ut dei dona perseverant requiritur hominis cooperatio, & illius diligentia, aliter facile prolabantur.

100. Quarto: Quamvis superiora moraliter sint dicta, tamen quoad literam. Non dicitur paulo te oportet audire, sed facere, scilicet suscipere Sacramenta Baptismi, Confirmationis, &c. nam plenissime instructus in mysteriis Divinitatis, ac vitæ, & doctrinæ Christi hoc, ut ipse citato loco ad Galatas, non habuit principaliter ab homine, sed per revelationem Jesu Christi quod postquam Christus Cælos ascendit, nulli hominum, nisi tantummodo paulo edocuit, ut in præfati Theophilacti, Theoph. & latius petrus damianus opuscul. 3. cap. 3. ubi sic ait: Postquam illa beatus, atque Divina Redemptoris humanitas ad paternam majestatis est evecta confessum, ut non jam hominibus temporaliter interesset, sed Cæli potius virtutibus præsideret, non per magistrum, sed specialiter per se ipsum, sic illum efficaciter docuit, omninque sibi gestorum suorum mysteria delegavit, ut non modo prædecessorum suorum magisterio nullatenus indigeret, sed eos insuper omnes Cælestis sapientia profunditate præcelleret. Expende ultima verba pro ultimo Christi amore erga paulum. Quem tanta sapientia exornavit, ut ceteros antecelleret.

QUÆSTIO XIV.

Quare Paulus obsecratur tanta luce circumfusus?

101. Verè Paulus obsecratus est, ut nec jam Christum, nec circumstantes, nec viam itineris videret, ut patet ex Textu: Nihil videbat. Deinde manibus trahentium ducebatur, ut communiter cæcis contingit: Illa autem lux Divina non sic perstrinxit oculos comitum, ut Pauli, ut ait Chryostomus, ut comites possent ducere Paulum, & quia deus disponebat alta, & sublimia agere cum Paulo, & non cum illis: Quæstio est cur tanta Paulo cæcitas evenit?

102. Primò d. Bernard. serm. de Conversione Pauli, ait: O felix cæcitas, que male quondam illuminasti in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubriter execrantur. Cum Saulus esset in sua savitia, ac furore ejus oculi erant multa turpitudine fædatis, cum verò in sua conversione exurgit novus homo, novi etiam sint oculi, purificati ab antiqua nequitia, & inde ab oculis ejus ceciderunt tamquam squamae, ut novum visum reciperet.

103. Secundò d. Ambrosius lib. 2. de Abrahamo cap. 9. ait: In actibus Apostolorum legimus, quia circumfuit lux Saulum de Cælo, & cecidit; horrore animi turbatus est, & audivit vocem de cælo dicentem, Saul, Saul, quid me persequeris? Desinit enim videre singularia, qui incipit audire divina. Toto animo, ac rotis viribus Paulus Divinæ voluntati se subiebat, se se omni conatu Deo tradebat, inde cõseques erat, ut omne terrenum despiceret, & ad illud cæcus esset, ut ad Deum ferretur, illumque suspiceret solû.

104. Ait Christus Dominus Judæis Joan. 9. numer. 4. Si cæci essetis non haberetis peccatum, ut sint liberi, ac immunes à peccato hoc unum illis operat Christus Dominus ut oculos habeant clausos, & cæcos terrenis, ac temporalibus, ut justitiam, veritatem, ac Cælestia aspiciant. d. Paulinus epist. 4. ait: Dominus Judæorum oculis cæcitate præferens dixit; si cæci essetis non haberetis peccatum: Reminiscamur qua pernicie illis in paradiso oculi sunt aperti, quos tandiu habuerunt illuminatos, quamdiu clausos habuere peccato.

105. Tertio d. Nazarius orat. in sancta lumina ait: Verendum

Verendum ne oculorum sensu orbemur, quemadmodum Paulo accidit, cum priusquam à persecutoribus expiatus esset colloquium cum eo, quem persequeretur, misquisset, mones? Ut unusquisque prius se purget & mundet, quam ad sublimia, & altissima evolet, & cum summa puritate habeat colloquium, ideoque Paulus obsecratur cum sua savitia esset valde immundus ad altissima evahitur, cum prius esset transcendendum per Baptismi aquam, ac penitentia lavacrum.

106. Ex idololatritæ tenebris veniunt Magi adorare dominum: Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum. Matth. 2. num. 5. Vocatur ad Christum Dominum adorandum, cur statim non veniunt ad illum, sed mediante stella. Ne tanto majestatis lumine offenderentur per stellam ducuntur, ut inde securius, & facilius ad verum solem perveniant d. Chryostom. serm. 87. ait: Hinc est quod & magos adhuc noctis incolas, & totis obstupescens oculis, tenuiter micans stella assuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis, & dierum.

107. Quarto: Venantius honoratus pictaviensis homil. de orat. Dominicæ sic scribit: Beatus Paulus populum Christianum devastabat, sed quando Redemptor dignatus est in persecutore suo magis plus esse quam justus, ut ad meliora accederet, eum per cæcitate amaritudinem castigavit, & corporale lumen obduxit, ut ei spirituales oculos aperiret, Furor, & ira fervebat Paulus contra Christianos; At cum clementissimus Jesus ex persecutore amicum, ex Saulo paulum, ex irato mitem, ex perfido fidelem, ex devastatore eximium evangelii seminatore, cæcitate amaritudine, ac angustia percutit, tam fortis, ac efficax est calamitatis vexatio, ut inflammata persecutoris iram in magistri lenitatem, convertat.

108. Ex delegatione Dei Moyses, & Aaron denuntiant Pharaoni, quod Dominus præcipit, ut Populus pergat in solitudinem ad eum sacrificandum, quibus pharao respondit: Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? Nescio Dominum & Israel non dimittam. Exod. 5. num. 2. Tamen postea ipse plagis vexatus aqua, quæ sunt conversa in sanguinem, paludes innumerabiles ranas emittunt operientes totam Egyptum. Tunc ipse vocat moysen, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, ut auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, ut sacrificet Domino. Exod. 8. num. 8. Antea Dominum ignorabat, & veluti contemnebat, dicens: Quis est Dominus, jam vero per intercessores postulat indulgentiam ab eo, totum hoc plagarum calamitas efficit, Origenes homil. 3. in Exod. ait: Ecce Pharao durissimus, proficit verberatus, ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicari pro se Dominum rogat; est profectus in poenis.

QUÆSTIO XV.

Quare d. Paulus per triduum neque manducavit neque bibit?

109. Primo aliqui hoc referunt ad altissimam meditationem, & contemplationem pauli cum Deo, ut ab omnibus temporalibus esset alienatus, illorûque oblitus sicut moyses per quadraginta dies stetit in monte cum Deo, & maxime quia, Glossa ordinaria Beda, Hugo, & Historia Ecclesiastica existimant in hoc triduo Paulum raptum fuisse ad Cælum ubi audivit arcana Dei, & didicit Evangelium de quo ipse testatur non esse acceptum ab homine,

sed per revelationem Jesu Christi, deinde ex colloquio, quod habuit cum Christo. In sua conversione maxime accensus est in ejus amore, ad quod pertinet illud psalm. 140. num. 10. Eloquium Domini inflammavit eum.

Secundo per triduum nec manducavit, neque bibit ob alteram penitentiam d. Chryostomus in præfati ait: Compungebat se propter ea, quæ fecerat, confitebatur, precabatur, orabat Deum, & se ipsum mirum in modum poena dignum judicabat. Occum, cumenius ait: Ob Ecclesie persecutionem, tristisque Deum deprecabatur, ut sibi remitteret: tam rigida, & austeræ hæc extitit penitentia pauli, cum tam vehementi jejunio, ut dicat d. Bassilius orat. 2. d. Bassil. Paulum jejunium, quod in suorum angustiarum prædicatione commemorat in Cælum provexit tridui autem abstinencia à cibo absque miraculo facile dari potest, & tanta est jejunii virtus, ut in Cælum elevarer.

Hanc autem rigidam, & severam penitentiam quam Paulus in sua conversione initiavit, per totam vitam retinuit, & continuavit: hinc ipse ait: 1. Corinth. 9. num. 27. Castigo corpus meum, & in servitutum redigo. Illud verbum castigo juxta Clementem Alexandr. 3. Strom. Nazianz. orat. 1. ex ratione dice græca idem valer, ac affligo, vexo, ac verbero, quod per totam vitam sedulo observavit, ut notat d. Hieronymus ex illo 2. Corinth. 2. In jejuniis multis, in vigiliis, in fame, siti, frigore, & nuditate, in laboribus, carceribus.

In servitutum redigo, nempe Spiritus ut explicat ibi d. Hieronymus, d. Ambrosius, ita tamen d. Chryostomus, Origenes, Theodoretus, hoc referunt ad Deum, ac in servitutum Dei, ut quavis in terra degeret, nihil carnis in eo apparebat, sed tanquam Archangelus Cælestis totus erat deificatus, ac missus in ministerium, ac servitutum dei. Unde ipse dicebat: Virgo ego, jam non ego vivit vero in me Christus. Ac si diceret, quod ita vivebat ac si non viveret vita sua, sed Christi, in quem totus erat transformatus.

Tandem pro hac eximia Pauli penitentia declaranda accipe d. Chryostomum homil. 2. de laudibus Pauli, & ait: Sic despicebat universa, quæ certaminis, ut solet herba jam purida contemnit: tyrannos vero ipsos, ac populos spirantes furorem, vel esse quosdam culices existimabat; mortem vero, & cruciatus, & mille supplicia, quasi ludum putabat. esse puerorum, dummodo pro Christo aliquid sustineret. Tunc enim, & tunc amplectebatur libenter, & decorabatur vinculis catena magis quam diademate coronatus. Nota sequentia: Et enim coactus carcere habitabat Cælum, & libentius verba accipiebat, & vulnera, quæ aliis bravia diripiunt.

Hic tamen considera cum Eusebio Emiseno homil. 1. in initio quadragesimæ: Ecce Paulus jam Christi habitaculum, jam vas electionis effectus intelligit sibi non sufficere solam gratiam nisi gratiæ adjungat solitudinem vigiliæ, & laboris industriam.

QUÆSTIO XVI.

Quare Paulus in sua conversione omnibus facultatibus corporalibus privatur?

115. In tanta multitudine sanctorum, quos deus ad Ecclesiam suam vocavit, quid simile factum est, ut ab omni terrenorum cogitatione, ab omnibus quæ corporis functionibus esset absolutus. Ipse ut cæcus non videbat, nec audiebat, ut multis placet, nec



116. Ratio literalis.

nec loquebatur, nec comedeat, nec bibebat, nec ambulabat, neque unum pedem movere poterat. Ratio literalis hujus rei pendet ex dictis quaestione superiori in limine, vel enim in hoc triduo, ut multis placet, raptus est in Caelum, & inde ex tam alta cognitione ab omnibus humanis absorptus, vel etiam tam vehementi dolore compactus est deanteactis, tantoque affectu rapiebatur in Deum postulans ejus misericordiam, ut ab omnibus terrenis esset sequestratus, ut prater Deum ad nihil aliud adverteret, nec attenderet.

117. Disponitur Paulus ad supremam sapientiam apicem.

Secundo, & moraliter: Ex omnibus, qui ad Ecclesiam vocantur unus solus Paulus in sua conversione excæcatur, & ab omnibus terrenis absoluitur. Disponitur ipse à Deo, ut altissima sapientia, & illustrissima virtute, ac terrenorum contemptu, ut dixi in fine superioris quaestionis, super omnes sublimaretur ad ædificandam Ecclesiam Dei puram: & sanctam, ideo ipse exiit ab omni carnali commercio, ab omnibusque humanis facultatibus, ut induatur superna virtute ex alto in sapientia, justitia, ac architectura ad ædificandam Ecclesiam Dei.

118.

Christus fundavit Ecclesiam, Paulus plantavit.

Ait ipse 1. Corinth. 3. num. 10. Secundum gratiam, qua data est mihi, ut sapiens Architectus fundamenta posui. Quomodo ait quod posuerit Ecclesie fundamenta, cum ipse Apostolus statim ibidem fateatur: Fundamentum aliud nemo potest ponere, prater id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si Christus Dominus est fundamentum Ecclesie, quod sapiens Architectus illud posuerit, ac si Ecclesie fundamenta ab Eterno Parente commissa sunt Christo, & Paulo; Christo Domino ut principalissimo Auctori, qui illam pretioso sanguine comparavit, ac acquisivit; Paulo vero, ut principali ministro, ac delegato, qui eam sua altissima sapientia asportavit, ac in toto mundo plantavit, & ædificavit, & ut notant D. Chrysof. Theophylact. Theodoretus, Paulus cum sit valde humilis de se ait: Ut sapiens Architectus, non, ut se jactet, sed gratulabundus gratiam Deo exhibet pro tanta sapientia ei data ad omnium salutem.

119. Itai. 3. Aquila.

Vrus Paulus pro omnibus.

Tertull.

120. D. Aug. Paulus pro omnibus laboravit.

Citato loco alludit Apostolus ad illud Isaia c. 3. num. 3. Ecce Dominator Dominus exercituum auferet à Jerusalem, & Juda sapientem de architectis, transfudit Aquila, sapientissimum artificium. minatur Deus ad Jerusalem, & Judam se velle auferre suam fidem, proindeque Architectos, qui fuerunt Prophetæ, qui illum populum divina fide illustrarunt, ut Deus unum populum, & unam Judæe gentem sua fide illuminaret, multi Architecti, multi Prophetæ missi sunt, ut Deus suam sanctam, & Catholicam fidem in toto Orbe, in omnibus regnis provinciis, ac nationibus plantaret; Unus Paulus pro multis, ac omnibus sufficiens plenissime est: Ut sapiens Architectus fundamenta posuit; Ipse enim tendit Tertullianus lib. 5. contra Marcion. cap. 6. ubi sic ait: Quod Architectum prudentem affirmat Paulus, hoc invenimus significari de palatinorum disciplina Divina à Creatore per Isaiam, Anseram, inquit, à Judæa, &c.

Huc advoco id quod sapienter dixit D. Augustinus sermon. 29. de sanctis: Petrus Ecclesiam, Ubi iam fuerat, reparat, Paulus ubi non fuerat, Petrus in Judæis terram male facundam excollit, Paulus vero in gentibus nondum cultam fecundat. In conversione gentium magnus labor imponitur Petro, & Paulo; nam Petro in Judæis committitur vinea jam plantata per Christum malitia inhabitantium sterilis, ut eam poliat, & fecundet; Petrus in Judæis terram male facundam excollit; At Paulo totum pondus im-

ponitur, ut in aggregiti, rudi, ac tenebrosa gentium sylva, Ecclesiam plantet, ædificet, ac maxime fertilitet, ut uberrimos, ac præclarissimos fructus parturiat: Paulus in gentibus nondum cultam fecundat.

Act. 9. num. 10. Erat autem quidam discipulus Damasci nomine Ananias, & dixit ad illum in visu Dominus: Anania: & ille ait: Ecce ego Domine.

Num. 11. Et Dominus ad eum. Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quaere in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem: Ecce enim orat.

Num. 12. Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus, ut visum recipiat.

Versiones,

CUM EXPOSITIONE V.

Vers. 10. Erat autem quidam discipulus Damasci Ananias: Valde insignis inter Domini discipulos, inquit D. Chrysof. de quo quaestione sequenti: Et dixit ad illum in visu. Syriac. Dixit per visionem. Arabicus, Noctu. Ecce me Domine. Verba sunt prompte obedientis ad omnia, sic Samuel 1. Reg. 3. num. 4. & 6. & Isai. 1. numer. 8. Baruch. 3. num. 35.

Vers. 11. Surge vade. Pagninus, Cum surrexeris vade. Ecce imperium Domini: In vicum, qui dicitur Rectus. Arabicus: Qui appellatur via recta. In Platea, nempe, quæ nuncupatur via longa, & directa, cæteris erat via longior, & rectior. Et quaere in domo Iudæ Saulum. Arabicus, Pete in domicilio Iudæ. Erat quidam homo, qui hospes erat Sauli, ut tenent Lyranus, Carthusianus, Lorinus, quod est probabilis quam id, quod dicunt Glossa; Interlin. & Historia Ecclesiastica, quod erat domus in platea assignata Judæis tamquam si Damasceni determinassent locum pro Judæis habitandis.

Saulum nomine Tarsensem. Proprium nomen Saulus, cognomen Tarsensis, tamquam originem habens à Tharso Ciliciæ Metropoli: Illuc enim Pater Pauli translatus fuerat de Judæa, & ibi multum creverat fama, & potestate, ut ait Lyranus: Ecce enim orat. Hoc dicitur Anania, ut non timeat illum persecutorem, jam enim orat ut ad meliorem vitam, & per Baptismum conversus, ut notant D. Chrysof. Oecumen. Carthuf. & Hugo.

Vers. 12. Et vidit virum. Syriac. Et ecce enim ut ille precatur. Arabicus: Aspexit per visionem; Hæc verba legenda sunt per parenthesis, non enim sunt verba Christi loquentis cum Anania, sed Luca Historiam referentis, de visione, quæ accidit in illo temporis articulo, quo Paulus orabat, & Christus loquebatur cum Anania: Per visionem manifestatum est ut quando Ananias veniret ad eum, ut ex presentia, & voce ipsum cognosceret, & veneretur tamquam legatum missum à Deo, & recognosceretur erga eum dei beneficentia, à quo talis, & tantus vir mittebatur, ut ab eo Sacramenta reciperet.

QUÆSTIO XVII.

Quisnam esset Ananias?

Vt magnus, ac insignis extitit, ut ait D. Chrysof. de eo magnum, ac præclarum præbet testimonium, noster Paulus Apostolus infra Act. 22. num. 12.

num. 12. Ananias autem quidam vir timoratus secundum legem testimonium habens ab omnibus habitantibus Iudæam. Et cum apostolus eum dicit timoratum, denotat eum esse justum, sanctum, ac piuum, ut ibi dicitur.

Et ab ejus nomine incipiamus, idem enim valet Ananias, ac Ovi, teste D. Hieron. epist. 3. & D. August. infra citando. Glossa Interlin. idem valet, ac Gratia Dei. Alii interpretantur ac nubes Domini, quæ omnia optime coherent nam in nube Domini ipse per visionem apparuit Paulo, ut patet supra ex vers. 12. & per ipsum gratia Domini delata est paulo, dum ei Sacramenta ministrat, quod autem dicatur ovis magnum mysterium habet, ut explicabo ad quaestionis finem.

Ipse erat ex Tribu Juda, ut tradit Ganæus, & unus ex 72. Domini discipulis ut tenent Oecumenius & D. Dorotheus in Synopsi, Petrus de Natalib. lib. 3. cap. 21. eum dicit discipulum Apostolorum, cum baptizavit Paulum, Oecumenius dicit esse tantum diaconum. D. August. lib. 2. quaest. Evang. q. 47. presbiterum, Dorotheus citatus, & alii dicunt eum fuisse Episcopum Damasci, & tandem illustrissimo martyrio est condecoratus ut habet Martyrologium Romanum die 25. Januarii: Ap. d. Damascum natalis Sancti Anania, qui eundem Apostolum baptizavit. Hic cum Damasci, & Eleutheropoli, alibi que Evangelium prædicasset sub Licino Judice nervis casus, laniatus, demum lapidibus oppressus, martyrium consummavit.

Paulus ex Benjamin lupus rapax Genes. 49. Ananias ovis ex suo significato, ecce miraculum magnum divina omnipotentia, lupus rapax subjicitur ovi, & ei obedit, ut ab ipsa dirigatur ac regatur. D. August. serm. 14. de sanctis ait: Lupus adductus ad Ananiam, qui interpretatur ovis, ecce lupus rapax adducitur ad ovem sequendam, non rapiendam, & ne rapiens ovem expavesceret lupum, ipse Pastor de Cælo, qui omnia faciebat, nuntiavit ovi venturum lupum, sed non seviturum: & tamen tam immanis fama illum lupum præcesserat, ut non posset ovis audito ejus nomine non conturbari et mox subdit, Lupo sevitia interdicitur, lupus ad ovem captivus ducitur, ut ab agno pro ovibus mortuo sit ovis secunda de lupo.

QUÆSTIO XVIII.

Quare Ananias admonetur in vigilia, Paulus autem in somnis?

Apparet nominis Anania per visum cum esset in vigilia, cum autem dormiret Paulus, visio per noctem ei ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adjuva nos, Act. 16. n. 9. Anania vigilanti, apertisque oculis se Christus manifestat; at vero paulo somno indulgenti, negotiante divino Spiritu se per visum ostentat. Vir Macedo pro suorum salute agens & cur Paulus non prius à somno excitatur, & tunc vir ille suam expostulationem exponit, sed ipso dormiente.

Respondet noster D. Cyrillus Alexandr. in c. 2. joelis, ubi sic ait: Audis ut in visu alloquitur Ananiam: Erat, ut puto, fide fortis, habitu strenuus, animo ad virtutem excitato, spirituali robore infractus, in somnis autem Macedo Paulum rogare videtur; erat enim Paulus mente senex, animo grandævus, & celesti sapientia plenus. Ananias Vir magnus, & virtute præclarus, tamen in vigilia erat admonendus: At Paulus in altiori constitutus erat, ita ut fervore in virtute, ut senex inveteratus erat,

& ita in illa exereverat, ut in omni perfectione esset grandævus, & præclara, & ubi tanta probitas radicata, ac sugillata erat, minime à somno impediatur ut divina monita exciperet & quamvis ipse oculis clausis videretur dormire, tamen ejus obedientia sic animo erat ut semper esset in vigilia, ut celestibus mandatis obtemperaret. Ad Ananiam cum esset in vigilia venit ipse Christus, ad Paulum vir quidam ejus subsidium postulans: tam prompta erat ejus obedientia, ut etiam in somnis quilibet levis insinuatio abundans foret.

Ait anima Sancta, Ego dormio, & cor meum vigilat. Cantic. 5. num. 2. Ait Christerius, ut paulo contigit. In extasi, qualis sit tamquam sonus, ut Adamo Genes. 2. num. 21. Extatici soporis sensibus quasi videntur dormire & tamen tota mente rapiuntur ad contemplanda divina; sic præfatum Canticum locum explicant D. Bernard. serm. 52. Noster Ioannes Carmelita Soto major; & alii, pro quo audiendus D. Gregor. lib. 5. moral. cap. 2. Ego dormio, inquit, cor meum vigilat, quia videlicet sancta mens, qua se à strepitu temporalis concupiscentie comprimunt, eo verius interna cognoscit, & tanto altius ad inima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine occultabat; quod bene per Jacob in itinere dormientem figuratur, qui caput ad lapidem posuit, & obdormivit, à terra Scalam Cælo inhaerentem, innixum Scalam Deum, ascendenes quoque, & descendentes Angelos vidit.

Jacob dum consideratione reclinatus in lapide Christo vidit Cælos apertos, & Angelos per Scalam ascendentes, & descendentes, & Dominum in nixum Scalam Genes. 27. num. 12. paulus in sua extasi totus absorptus in Christo non vidit Angelos ascendentes, & descendentes, sed ipsemet ascendit nec vidit Dominum in nixum Scalam, sed ad ipsum Dominum rapitur usque ad tertium Cælum, ad Tribunal usque ipsius Sanctissimæ Trinitatis, ubi vidit, & audivit abscondita mysteria Dei.

Ait Regius vates Psalm. 67. num. 27. In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel, ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. D. Augustinus legit Extasi, Concors est Sanctorum Patrum Augustinus, Hieronymus, Rupertus, Hilarius, & alii: thymius, quod Propheta loquitur de Paulo ex tribu Benjamin, & ubi nos habemus Adolescentulus in mentis excessu, & ubi nos habemus Adolescentulus in mentis excessu, ex Hebræo legitur Minimus, Paulus enim de se dicebat Ego sum minimus Apostolorum. Invitat nos David, ut Deum laudemus, ac glorificemus de ingenii magnificentia, ac liberalitate, qua suam Ecclesiam locupletavit de fontibus Israel tot, & tantis donis, gratiis, ac prærogativis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Doctorum, ac Martyrum, quibus irrigavit fecundavit suam Ecclesiam, Israel, id est fortis, qui in tanta donorum abundantia ostendit suam fortitudinem ac magnificentiam.

Ibi Benjamin adolescentulus, seu ut legit D. Hieronymus Junior in mentis excessu, in Extasi. Sed cur ex tot millibus millium sanctorum, quos Deus suis tantis donis adimplevit, cur unus Paulus nominatur; Quia inter omnes, quos Deus fontibus suarum gratiarum, donorum ac prærogativarum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, &c. fertilizavit, insigniter ac valde sublimiter impinguatus Paulus condecoratus apparuit, ut tot, & tantis donis illustratus in sua extasi refulget: Unde optime D. Chrysolomus supra datus eum appellat: Arcam Cælestium gratiarum, ac donorum.